



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 62. Quid notandum sit circa expressionem verborum in Missa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

sito eas invertere erit mortale, uti si evangelium legatur ante epistolam, in his enim est magna deformitas: & colligitur ex iis Doctoribus, qui volunt omissam unam partem Missæ non esse repetendam, *Pasq.* q. 222.

Q. 62. *Quid notandum sit circa expressionem verborum in Missa.* *Bz.* seqq. §. 1. Si quis notabilem partem verborum Missæ ita former intra labia & dentes, ut secluso omni impedimento seipsum audire non posset, peccat mortaliter, quia non legit Missam vocaliter, nam oratio vocalis, prout à mentali distinguitur, debet habere sonum, omnis autem sonus est audibilis, cum sit objectum auditûs, uti dixi *L. 4. n. 1294.* & docet cum communione *Pasq.* q. 231. contra *Az. Tamb. Caram. Bass. De Horis §. 2. Quarti p. 1. t. 16. d. 2. & alios apud Dian. p. 2. t. 12. R. 9.* qui putant sufficere, quòd verba formentur per motum oris & linguæ, dicunt enim orationem esse non purè mentalem, ergo vocalem: quam sententiam *Gob. nu. 813.* videtur admittere ut probabilem: notantque *Nav. & Fill.* posse servare scrupulosi.

§. 2. Si quis omnia, quæ dici debent altè, legat submissè, non peccat mortaliter, *Quart. Pasq.* q. 231. Peccare autem venialiter, docet cum aliis *Sanch. in cons. L. 7. c. 2. dub. 8 n. 6.* quia Missa est officium publicum, quod communicari debet cum populo, ut sic exciteretur ad devotionem. *Pasq.* tamen q. 230. probabilius dicit nullo modo peccare celebrantem, dummodo ita altè exprimat verba, quæ altè dici debent, ut excedant terminos secretæ orationis, licet populus audire non possit, eò quòd Rubrica id ordinans nullum contineat præceptum. *Quarti dub.*

dub. 1. dicit Rubricam illam continere quidem præceptum, attamen esse nonnullos timoratos, qui voce omnino depressâ celebrant sine scrupulo peccati etiam venialis, quod *Sanch.* & alii admittunt, si quis non celebret coram aliis, fatentur enim tum satis esse, si Minister audiat ea, quæ altè dici debent. Quòd si quis celebret non in summo altari sed in laterali, *Nav.* & alii cum *Gob. nu. 813.* planè excusant à peccato, si omnia submissè dicat, ideoque *Beja p. 1. Cas. 21.* sic scribit: *In nostra religiosissima Lusitania, ut devotioni & contemplationi sacrificantium consulatur, in more est positum submissâ adeò voce privatis Missas dicere, ut nonnisi à se solo sacrificans audiat & ab eo, qui Missæ inservit, quoad ultima verba, quibus est responsurus.*

440. §. 3. Qui partem notabilem eorum, quæ submissè dici debent, recitat altè, secundum *Gav. Quarti, Pasq.* peccat mortaliter: docent tamen communiter authores veniale tantum esse ita altè proferre verba consecrationis, ut audiantur ad sex vel octo passus, si autem audiantur ad quadraginta passus, dicunt communiter omnes cum *Gob. n. 69.* esse mortale: Et universaliter quamvis ad decem tantum passus audiri possint, si tamen magna pars populi soleat esse intra totidem passus, erit mortale, quia ratio, ob quam graviter prohibemur altè exprimere, hic invenitur, nempe ne populus verba illa sciens postea temerè aut ad jocos eisdem utatur: nulum tamen erit peccatum, si ita altè proferantur, ut Ministri audiant, *Gav. Gob.*

441. §. 4. Mediâ voce, idest, nec omnino altâ nec omnino submissâ dicuntur, *Orate fratres, Sanctus &* quæ sequuntur usque ad canonem, *Nobis quoque*

quoque peccatoribus, Domine non sum dignus. Errant autem, qui altâ voce dicunt *Memento Domine, Omnis honor & gloria*, dici enim debent submissâ.

§. 5. Si ex nimia acceleratione causetur mutatio ultimarum syllabarum aut syncope intermediarum, dummodo maneat sensus & significatio absitque scandalum, est tantum veniale. Nullum erit peccatum, si fiat ex defectu naturali, *Quarti, Pasq. q. 232.*

Q. 63. Quid notandum sit circa distractiones in legenda Missæ. R. §. 1. Distractio quamvis longa extra canonem & sumptionem est tantum venialis, *Tamb. De Sacrif. L. 2. c. 3. n. 8.* Diuturna sub canone est mortalis saltem ob periculum in eo committendi errores, *Tamb. Gob. in Exp. t. 3. n. 817.* Attamen *Diana & Bardi* non agnoscunt culpam adeo gravem, quamvis magna esset distractio & si absit periculum errandi, quod tamen vix aberit: probabile est quamcunque distractionem internam etiam sub consecratione vel Communionem fore veniale tantum, secundum sententiam, quam retuli L. 4. à nu. 1341., nempe, quod cum distractione interna consistat essentia orationis, & attentio interna non præcipiatur graviter: quam sententiam fusè defendit etiam *Quarti p. 1. tit. 16. dub. 5.* Ratio autem est, quia intentio virtualis, quæ tum manet, sufficienter dirigit omnes illas actiones facitque esse opus Religionis.

§. 2. Si celebrans sub Communionem distra- hatur voluntariè, aliqui putârunt peccare mortaliter, tum quia Communio requirit parem cum consecratione reverentiam, uti habet *Tamb.*, tum etiam quia consumptio utriusque speciei